Wudae Michaëlis: Hendecasyllabi Bethlehemici.

Crac. in off. typ. Christoph. Schedelis. 1641.

MICHAELIS WUDÆ

Hendecasyllabi BETHLEHEMICI.



CRACOVIÆ,
In Officina Typogr. Christophori Schedelij
S. R. M. Typog.. M. DC. XXXXI.

In Stemma Antiquissimæ Domus.



GNata Iouis Clypeo se isto munire solebas,
Armorum præses, consilijq; Dea:
Sed nostram fortes patriam clypeare SOBIESCI
Nunquam deficiunt; ac neque deficient.
Sic Conso, Suadâ, meritis, pertingit Olympum
Gens sacra! de cerebro est, nonne propago Iouis?

Desiderius Lubomirski Stud. eloquen.

Magni Academiæ Cracouień.
MÆCENATIS
Illustrissimi Dńi. D.

JACOBI SOBIESKI

Terræ Bełzeń. Palatini,
Crasnostauień. &c &c.
CAPITANEI,
Intimis & optimis virtutum Paternarum & auitarum Hæredibus,
Generos. & Magnan. Juuenibus

D. MARCO

Capitaneo Iauorou.

ET

D. IOANNI SOBIESCIIS.

M. IOANNES CYNERSKI
Rachtamouius, Coll. Maior,
Eloquen. Profeſſ. Tylicianus,
Ad fælix Noui Anni auſpicium
S. & P. P.

PRo ampliſsimis veſtris in me, & Almam noſtram Vniuerſitatem, meritis exiguũ iſtud quidẽ, ſed ſerenum tamen munus, vt ſerena mente atque fronte recipiatis, Magnanimi Iuuenes, oro. Non ego vobis Heliodori Pſychen, aut Barclai Argenidẽ oſtẽtatricis Elocutionis Symbola,

bola, ſed pij & amæni Poetæ, pro pio Xeniolo, pios offero dedicoq́; iocos. Viuite fælices nobiliſsimi Iuuētutis Polonæ Principes, qui genere virtutes, virtutibus & indole Parentes, moribus amæniſsimis Maiores effingitis: Nos literarię Reipub. Quirites, omnia Vobis fauſta, proſpera, fortunata intimis ex animis comprecamur. Quid enim nobis accidere poteſt, aut illuſtrius ad gloriam, aut iucundius ad vitam, quám Vos lectiſsimos in Parnaſſo Academico floſculos, tantis meritis florentes, tanta ſpe conſpicuos, incolumes contueri? Exhilarat nos plurimū indole, & virtute Illuſt. D. Hieronymus à Granow SIENIAWSKI, magnorum patriæ fortiſsimorūq; Bellatorū ac propugnatorum vnicus ſurculus: reficiunt humanitate & eloquentia Paulus & Ioānes POTOCCII, Palatinidæ Bråclauieñ. recreant ſpe eximia, moribuſq; ſuauiſsimis Alexander DONHOPH, Palatinides, &

 Sta-

StanislausKONIECPOLSKI Castellanides Sieradień. Iam verò Vestræ mellitissimæ animulæ, Ioannes & Nicolaus OSTROROGII, Pocillatoris Supremi Regni Filij, nonne optimi Parentis intimam spirant amænitatem? Porrò Ioãnes DEBINSKI, Magnifici Vexilliferi Cracouń. Filius, quam vultu, & speciosa morũ cõpositione innatam circumfert grauitatem? Quis bonis in literis laboriosior Alberto ROXICKI Castell. Polaneceń, quis in lucubrationibus amęnior Alberto PARIZ, aut in vigilijs constantior Constantino PARIZ, Castell. Circeń. Quis LANckorunscijs. Castell. Woiniceń. aut Szuminscio Castell. Ripniceń. aut Casimiro BRODECKICapitan. Iasleń. aut Ioanne GNINSKI, sensibus neruosior, styloq; fælicior? Qua cũ alacritate animorũ & attentione audire solemus, ingeniosissimas atq; prõptissimas, Alberti OPACKI publico in consessu de rebus grauissimis

ſimis diſſertationes? Qua cum volupta-
te Sigiſmundi CIZOWSKI, & Cõſtanti-
ni OBORSKI Vexilliferi Circeñ. Orati-
ones percipimus? Quam ſuauis morum
grauitas in LEZINSCIO? RZESSO-
VIO? CZARNECCIO? GIDZINSCIO?
GORAYSCIO? Quas Maiorũ virtutes,
indole pollicentur generoſa Petrus &
Staniſlaus DZIALINSCII & Thomas at-
que Michaël CHVMIECCY, & Stephanꝰ
cũ Martino & Samuele LEDVCHOVII,
& Paulus atq; Thomas OLTARZEWII,
& Staniſl. cũ Vladiſl. DROCHOIOWCII.
Alexander cum Nicolao PISARSCII?
Quám ſunt moribus & ingenijs formoſi
Caſimirus & Martinus, CRASICCY Ca-
pitan. Dolineñ. quàm vigilantes in bonis
diſciplinis Hieronymus & Vladiſlaus Ko-
MAROVII? quám ſententijs fælix expri-
mendis Conſtantinus RAIECKI, quám
facilis elocutione Ioannes KOPEC, quã
diſertus Deſiderius LVBOMIRSKI, aut

Nico-

Nicolaus Stadnicki, aut Iac. & Ioan. Verdæ Capitan. Nyssiceñ. cœterique nobilissimi Iuuentutis flosculi, quorum nomina meritaque illustriora sunt, quám vt commemoratione mea explicari posse videantur. Hos inter omnes, Vos Magnanimi Sobiescii, hoc ipso sæculo, Illustr. & Magnif. Vestri Parentis eximia liberalitate, rarissima pietate, diuinoq; candore, languidulis animis Starnigellianis, spiritum inspiratis viuaciorem. Florete, vigete, viuite, lectissimi Iuuentutis Polonæ Principes, & (vt quidem cœpistis) primis ab annis, auitam paternãque toto orbe propagatam gloriam, Hæredes florentissimi fælicissimiq; æternùm propagate. Dat. è Coll. Maiori in peruigilio Purification. SS. Deiparę Virginis. Anno Dñi. 1641.

NVΘETIKON
AD
Illuſtres & Magnanimos
Illuſtriſſ. & Magnifici

Academicæ pietatis, ac libertatis

VINDICIS,

Ac

Propugnatoris

FILIOS,

D. D. MARCVM
ET
IOANNEM
SOBIESCIOS,

Et reliquam Florentiſsimam Parnaſsi Academici Iuuentutem.

DVo pupuli amænoli, venuſti,
Duo candiduliq; turturilli,
Ingens Craciadu | Camænularum,
Ingens atque nouem ſororcularum,

Ingens atque laborioſioris
Phæbi delitium, decus, voluptas!
Patris ridet in ore queîs venuſtas,
Matris ridet in ore queîs venuſtas,
Indolesque ſimul SOBIESCIANA,
DANIELOVICIA *indoleſq; feruet:*
Flore in primulo, & annulis amænis,
Primo in floſculo, amænolis & annis,
Ad cunas ego Vos voco beatas,
Ad cunas ego Vos voco recentes,
Regis Hoſpitis, & recentioris
Infantis voco, blandulo ſonoro.
Et ſimul lepidos voco puellos,
Et ſimul teneros voco Quirites,
Noſtri Sarmatici Sagi, Togæq;,
Noſtræ Sarmaticæ Togæ, Sagiq;,
Præclariſsima, lucidiſsima atq;
Ornamenta, decora, maximorum
Et Patrum Patriæ, & mei Lycæi.
Huc huc acceleret potens ſagati,
Ille Martis alumnus, atque pullus,
Hæres magnanimæ indolis ſerenus,
Vnicum generis decus, iubarq;

Gen-

Gentis præsidium vnicum, decusq;
Ocellus meritorum & vnicellus;
Huc SIENIAVIVS ad casam beatam,
Ad fontemq; celer ruat perennem,
Hausturus subitò potentioris
Martis robur, in hostium Phalanges:
Vt sit malleus, ah ferocientis,
Ah gentis nimium superbientis,
Qua non posibile est ferociorem
Quæ ferociat, efferociatq;,
Cruditate dari proteruiore,
Visceret magis, & magis laceßet,
Et quæ dilaniet magis patentes
Opes vndique Rusiæ patentis,
Rusiæ ah nimium laboriosæ,
Afflictæ, miseræ, calamitosæ!
Vt sit Martis in officina fortis,
Fortis malleus, insolentis hostis:
Et fundat Scythicos manu Moloßos.

O SIENIAVIVS atterat (nouellus
Vindex Rusiæ) vt olim, & illi, & illi
Attriuêre Viri, hostium Cohortes,
Pater cum Patruo, atque Auus Dynasta,

Et duo Proaui; Corona noſtri
Mauortis ſpecioſa, lauſq; Gentis.
In te ſpes generis recumbit omnis
Heroum, atque Ducum propago fortis,
Verum exemplar Aui, Patriſq; Adame,
Vt ergo vigeas diu & perennes,
(Optamus vigeas diu & perennes)
Cunis hauri animum pium è beatis.
    Huc & POTTOCII duo, fideles
Obſides fidei laborioſæ,
Duo corcula, prouidæ Thaliæ,
Illuſtres animæ, pij Lycæi;
Potentes Atauis; Patre atque Magno
Bellatore, nimis nimis beati;
Sponte qui vigiles, & vſque, & vſque,
Doctis peruigiles, & vſque, & vſque,
Noctes, atque dies, ſacrant Camœnis.
Et ſibi ſolidam eruditionem,
Et ſibi nitidam elocutionem,
Comparant generoſiore ductu,
Curruntq; impete nunc fauentiori,
Nunc promunt numeroſq; Tullianos,
Nunc vrgent genium recentioris

Styli, nobilioribus lacertis!
O quantum patriæ Spei inde, & isti
Accrescitque Lycæo amæniori!
Postquam vos bona, quæ profecta magnis
A maioribus indoles, per Orbem
Clarabit Sapientia, atque Suada!
O dulces animæ nouem Sororum
Quas tanto studio fouetis. Ergo
Cunis ambrosiam hisce, perlibenter
Delibate puelluli nouelli.
Huc Ostrorogij duo gemelli
Fratelli properent, venustuli ambo,
Ambo candiduliq; blanduliq;,
Ambo floriduli, ambo pusiones;
Qui nostram subiêre nunc palæstram,
Vt promant animis pium uigorem,
O proment animis pium vigorem.
Castis casta placet, virago puppis,
Puppi virgo placent tibiq; casti.
Salue, terque quaterque, centiesque,
Patris magnanimi propago fælix,
Olim Sarmatiæ futura fulcrum:
Sty. Vale, terque quaterque, milliesque

Patris delitium, decus, voluptas.
Matris delitium decus, voluptas,
Nostrum delitium, decus, voluptas:
Nobis in spem Academiæque crescis.
Huc & Donhophule ad beatiores
Cunas, siste gradum propinquiorem,
Quem natura parens amænitate
Tinxit, cum grauitate permodesta.
Viue delitium Patris venustum,
Viue matris ocelle blandicelle.
E cunisque melos bibe auspicatum.
Quis instat generosiore vultu?
Et tam præcipites gradus adurget?
Agnosco sobolem Patris sagacem,
Nosco grandiloqui Patris puellum,
Cultum moribus, ore blandicellum:
Noui Stanesilàè te, tuumq;
Vultum, & ingenium Parentis illud,
Illud & Patrui sagax, serenum,
Solers, acre, potens, ad arma, ad arma!
Ad arma ingenium sagax, paratum!
Ad Musas genium satis paratum!
Armatam coluere sic Mineruam,

Paca-

Pacatam coluêre sic Mineruam,
KONIECPOLSCIADÆ pari fauore!
Cresce præsidium Domus vetustum,
Matris deliciumq; cresce amænum,
Tibi hospes puer osculum propinat,
E cunis puer osculum propinat.
At tu lenta moras cohors quid istas
Nectis? tardigrados premisq; passus?
An vobis Charitum benigna turba
Turbam non habet otiosiorem?
Quid? ætas prohibet videre Cunas!
Blandi pupuli? amænoliq; gnati?
Non ætas prohibet, videre Cunas
Blandi pupuli, amænoliq; gnati,
Quam virtus bona, castitas, ruborq;,
Verecundia, sanctitasq; morum
Et veri sitis, & pudor coronat.
Quid moras trahis vsq;, & vsq;, & vsq;
O DEMBINSCIADA Patris sereni
Olim & eximium decus future,
O & præsidium Domus fidele;
Candidos iuuenes amat puellus,
Te Candor rubicundulus venustat.

Palles pallidule, ô quid? ô quid? ô quid?
Opacky, & vigiles diesq́ʒ serò
Noctesq́ʒ addere lucubrationi
Non cessas nimium laboriosæ?
Alternas pietas amat Camœnas,
Alternam pietatem amat puellus,
Alternumq́ʒ laborem amat puellus,
Qui ad cunas vocat inuicem recentes,
Risu, fletu, & amore blandicello.
Vltro deproperat meus Brodecki,
Cunas visere blanduli puelli,
Qui vltro Craciadas colit Camœnas,
Phæbo Thespiadum Deo dicatas,
Et summo studium fouet labore,
Et summo ipse stylum excolit labore,
Et summo literas fouet fauore,
Queîs sibi parat elocutionem,
Queîs sibi parat eruditionem
Tenellam, nitidam, atque copiosam.
Seu ludit fidibus Catullianis,
Seu fingitque modos Maronianos,
Seu prensat geniumque Tullianum
Ductu prendere plus capaciore

Quàm

Quàm vox ſufficiat, latuſque molle,
Et pectuſculum iners ad acre bellum.
Huncpone inſequitur fidelis alter,
Raiecki inſequitur fidelis alter
Achates, pariter rotundus ore,
Vultu compoſitus rotundiore,
Et verbis quoque ritè collocatis.
Conſtantine vale, vige, vireſce,
Et conſtans bibe fonte de ſacrato
Infans quos dat amans tibi liquores.
Quis non Pariſiam indolem ſtupeſcit?
Florentem, validam, laborioſam?
Et brumæ patientiorem acerbæ?
Parcam & temporis auſpicatioris?
Te quis o Rudomina, quis tuumq;
Præſtans ingenium, fidele, ſolers,
Moresq; ingenuos & integellos,
Laude non celebrat fauentiore?
Te prudens Genitor bonis Camænis,
Et noſtro dedit imbuendum amæno
Candori, fideiq; peruetuſti
Lycæj; ſatis inde iam peritus
Quantum conueniat tibi, tuæq;

Hic

Hic liber labor institutioni.
Ad cunas quoq; tu veni beatas.
At Gninski meus est vbi ille lætus,
Formâ, moribus, indole atque suada,
Qui primam glaciem, mea in palæstra
De Diuo Patre verba dum est locutus,
Fregit impete dictionis acri?
Affixit grauis ah grauis, seuerus,
Hunc lecto dolor, impotentiorem
Iam resistere! Perfide ah satelles
Nos centum pia vota, mille vota,
Et rursus pia vota, mille, mille,
Reddemus valeat modestus ille
Gninski, frangat & impetus molestos,
Et morbum arceat insolentiorem.
Pastorille pusille Tytirille
Illud heus rubicundulum, venustum
E cunis rubicunduli puelli
Heus adfer cito Tytirille pomum
Mox, mox iste meus valebit æger.
Trachgninski ille Pater bonusq; mystes
Posnæ candidus, & fidelis ille
Mœcenas, Patruus Nepotulum olim
Hunc

Hunc nostræ fidei reliquit vnum
Candidum, ingenuum, & laboriosum.
Sed turbam video frequentiorem,
Et turbam Iuuenum satis modestam,
Et cerno Iuuenes modestiores.
Huc huc deproperate vos modesti
Huc ô deproperate vos nouelli
Surculi ingeniosioris oris,
Quos & suada modesta peruenustat,
Quos & casta Minerua demineruat.
Quis & Tarnouios, Slesinsciosque,
Quis Leduchouios, Crasicciosque,
Quis & Dzialinios, Chumecciosque,
Quis Czizouiadas, Oborsciosque,
Quis & Lezinios, Goraisciosque,
Quis Lanckorunios, Szuminsciosque,
Quis & Gidzinios, Stepouiosque,
Quis & Czarnecios, Pisarsciosque,
Quis & Roxicios, Staniciosque,
Quis Makouecios Bogucciosque,
Quis Komarouios, Kopecciosque,
Quis Rzeßouiadas, vtrumque verdam,
Centenam Iuuennm simul Cateruam,

Mille.

Millenam Iuuenum ſimul Cateruam,
Et pulchram indole perſpicatiore,
Et ſuada facilem ſúauiore,
Et dignam meritis perauſpicatis,
Ad cunas renuit vocare ſanctas?
Teſtor pupuli amænoli, venuſti
Vos ô candiduli que turturilli,
Vos SOBIESCIADAE *Duces nouelli*
Pij, floriduli, ſerenuliq;,
Ductetis iuuenum Cohortem vt iſtam,
Centenam iuuenum Cohortem vt iſtam,
Millenam Iuuenum Phalangem vt iſtam,
Siſtatis Iuuenum Phalangem vt iſtam,
Ad Cunas pueri recentiores
Quem luci dedit aureæ Virago.
Hic & fas erit, & ter, & ter, & ter,
Cantillare nouella carminella,
Scribillare nouella carminella,
Et verſus geminare peruenuſtos
Et verſus geminare peruetuſtos.
Hunc mi Marcule, mi Ioannole ambi
Totum blandidulum, nouum, puellum,
Pulchellum, aureolum, bonum puellum,
Qui

Qui flagrans face, mutuaq; flamma,
Te totis amat, atq; te medullis,
Totum nectareum, osculatione
Casta, blandidula, pia, Venusta,
Sancta, nectarea, vsq;, & vsq;, & vsq;
Donec languidulis tuis, tuisq;
Obrepat sopor, & puelli ocellis.
Vestrum delitium sit oro hic infans,
Et solatiolum sit oro hic infans.
Hoc ex fonte bonam eruditionem
Libate, & genium elegantiarum,
Ille vos pietate recreabit,
Ille & ingenia alma perbeabit,
Ille & Spiritulum bonum irrigabit,
Interq; astra corusca collocabit.
Sed non astra corusca collocabit
Inter, purpureus puellus ante
Quam vos, & Patriæ, & Parenti vtriq;,
Sanctæ & Relligioni, Amico & omni,
Et Consanguineo, propinquo & omni,
Et Vestro quoq; prouido Lycæo,
Doctæ effeceritis palam Mineruæ,
Et vestræ indolis elegantioris,

Magno

Magno Sarmatici orbis in theatro,
Magnum, magnæ operæ, atq; gloriosum
Specimen, Pater vt dedit disertus
Fortis, magnanimus, grauis, Senator,
Et dat, & dabit, vtq; det per æuum,
Pijs à Superis fauente voce
Supplex Sarmatium rogat Lycæum,
Vidit, plaudite vos nouem Sorores,
Vidit, plaudite Sarmatæ potentes,
Et diem celebrate fortiorem,
Seclisq; omnibus auspicatiorem,
Vidit spartacus ille parricida,
Excors, trux oculis, Tyrannus Orbis,
Et frendens, gemuit Tyrannus Orbis,
Vester fulmina dum ore perdiserto
Vibraret, furiam premens, Pericles.
Quid demens, furiose, quid Tyranne
Horres magnanimi elocutionem
Liberam, validam, potentem, & acrem
Herois? simul ore perduelles
Et armis premere, hoc decus Polonum est.
Deduc ex acie prior Caballos,
Exhaustosq; prior trahas Camelos,

Aufer

*Aufer ſarcinulas vagas, inertes,
Exſpes, perdite, trux, proterue, fallax,
Et tandem fuge prœdo Principum Orbis,
Oſmane, ac lepores tuos ſubaudi,
Magis conſilio geri leonum,
Quam armis Martis op⁹, quod ipſe ſummus
Vindex Iuſtitiæ, Deus tuetur.
Dabis, ſed dabis impie ô laniſta,
Pœnas flagitij tui ſolennes,
Et qui olim patrijs coruſcus armis,
Militem innocuos rotaſti in enſes,
Et turmas procul, & procul Phalanges,
Mandaſti miſero interire telo;
Idem, idem horridus in putri latrina,
Non in ambitioſiore lecto,
Nec telo latus arduus, nec haſta,
Immanes trepidabis vt moloſſos
Ceruus, caſsibus aſperis rotatus;
Et fruſtra refugos, vocabis Anthêos,
Et fruſtra querulos mouebis imbres,
Frangens fune gulam Lycambiana.
Inter Sarmaticos fuit Dynaſtas,
Fortes, magnanimos, pios, potentes,*

Virtus

Virtus tam generosa, tamq; suada
Faelix, quae peperit beatiorem
Pacem, Orbi nimium calamitoso!
Haec sunt haec spolia elocutionis
Opima haec spolia elocutionis!
Faelicis nimis, & nîmis beatae,
Quae vester tulit è manu Tyranni,
Per orbem celeberrimus Pericles,
Polonus celeberrimus Pericles.
At ius, fasq; pium, vt pio, in Senatu
Armet eloquio pio, fideli,
Munus dicere non meum est: tacebo,
Duo pupuli amaenoli, venusti
Duo candiduliq; turturilli.

MICHAELIS WUDÆ Hendecasyllabi BETHLEHEMICI.

Poëta ad Libellum.

INculta, aſpera, dura, carminella,
Abortiua, tenebricoſa, nec dum
Torno Pierio polita; nec dum
Venuſtata ſat elegante cultu,
Inuito ite videre Patre lucem:
Si quis fortè petet, quid ante lucem
Luci oſtendere voſmet audeatis?
Paucis & tremulis referte verbis

Non

Non nostri genitoris, atq; nostra
Id culpa cecidit; sciebat ille
Nos imbellia, nos & imbecilla,
Et splendoris inania; & lituræ
Esse obnoxia diligentiori;
Verum plus nimio molestiarum
Parenti dabat ille, & ille Amicus,
Vt nos ederet, vsq; & vsq; cogens.
At verò quid ita? vsq; & vsq; pallor
Nec vnquam ore rubor sedet parentis,
Nec vlla rubor arte comparari
Nulla pallor & arte quit fugari?
Huc ergo editione nostra Amici
Ibant vt facerent ei ruborem.

Ad pium Lectorem.

QVisquis dulciloquis, faues Camœnis,
Et cui dulciloquæ fauent Camœnæ,
Hûc quem nostra tibi Thalia libri
Venâ paupere porrigit fluentem,
Sudâ suscipe fronte, mente sudâ.

Et

Et quos ter, quater, ac nouem diebus,
Et dextro minus, & minus ſiniſtro
Muſarum impete duxi ad vmbilicum,
Vna perlege vel die, vel hora,
Siue dicere ludicros labores
Seu ludos mage vis laborioſos.

Ad Muſas Bethlehemides.

DVm ludo fidibus Phaleucianis,
Et dulces animi mei calores,
Denudo numero iocoſiore,
Huc ô Bethlemides venite Muſæ.
Et ſi ſpargo ſalis ſales inanes,
Emendate ſalis ſales inanes,
Et fucate nitoribus nitores,
Et condite ſaporibus ſapores,
Et miſcete leporibus lepores,
Et totum nitidum ſit & venuſtum,
Et totum ſapidum ſit & iocoſum,
Et totum lepidum ſit & facetum
Noſtrum delicium Phaleucianum.

Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem vbera matris meę, vt inueniam te foris, & deoſculer te.

Cant. 8.

O Si quis Deus annuat petenti,
Vt fratercule, te meum integellum,
Pulchellũ, aureolũ, optimum, tenellũ,
Potantem vbera, veſculasq́ mammas,
Mammas dulciculæ meæ parentis,
A vulgo inueniam rudi remotum:
Vulgo carpere quod iocos beatos,
Et ludos ſolet, & ſolet lepores.
Tunc ô tunc ego, non vidente quoquam
Tutò delicitijs fruens ſacratis,
Inflammatæ animæ pioq́ amori,
Et coctæ nimio, calore menti,
Nutrimentaq́ pabulumq́ quærens,

Figam

Figam basiolum huic ocello, & illi,
Sugam suauiolum è gena hac, & illa,
Sorbillabo labello ab hoc, ab illo.
Cœlesti ebria nectaris liquore,
Exhalantia mirrheos odores,
Destillantia melleos sapores,
Centum basia, & osculationes,
Centum suauia, morsiunculasq́;:
Immo ipsum manicis te ego occupabo,
Et vinclis onerabo Charitatis,
Atq́; in scriniolo, domunculaq́;
Inflammatæ animæ meæ recondam.
Et cùm mens erit, & mihi volūntas,
Scribillare nouella carminella,
Priusquam calamos, manumq́; opellæ
Solers admoueam, prius, prius te
Laßabo cupidâ osculatione,
Et liquabo meæ fauum Camœnæ,
Exugamq́; mel elegantiarum,
Et fragrans decus elocutionum,
Oscillo aureolo, tuo & labello:
Tunc me mustiflui styli lepore

Tunc me nectarej fluore versus
Et dulcore Pöëta nemo vincet.

Inueni quem diligit anima mea, tenui eũ, nec dimittam. *Cant. 3.*

LVdi, deliciæ, sales, amores,
Vanæ blanditiæ, ioci procaces,
Furtiui gemitus, lenes cachinni,
Et suspiria, & oscula impudica;
Et quicquid Paphio madens veneno
Amantûm malè sana corda inescat,
Hinc auferte pedem insolentiorem.
At virtus bona, castitas, rubores,
Verecundia, sanctitas, salusq;,
Et veri sitis, & pudor modestus,
Versus ignibus ebrij sacratis;
Et quicquid Cyprio furore corda,
Sancto liberat vstulata nimbo,
Huc se se ferat & quiescat in me.

Sero deliciæ aduolaſtis ad me,
Sero nequitiæ illigabitis me,
Et molles choreæ, facetiæq;
Irretire dehinc ſtudebitis me,
Tunc cum liber eram, fui occupandus;
Iam me fax alio calore torret.

Tu me Ieſule tu tenes amantem,
Tu me mollibus implica lacertis,
Tu cœleſtibus oſculis ciba me,
Tu ſtellantibus intuere ocellis.
Tu totum inſere, te meis medullis,
Et mecum vſq; mane, manebo tecum,
Et mecum vſq; vale, valebo tecum,
Et mecum vſq; habita, vſq; conquieſce
Imâ pectoris in mei latebra:
Et ſi quando Cupidinum furores
In me peſtiferas agent ſagittas,
Has vmbone tui repelle amoris,
Et totum adſere me tuo calori,
Cuî me viuere, cuí mori eſt voluptas.

Deliciæ meæ esse cum filijs hominum. *Prou. 8.*

CVr Regem exueris Deus potentem?
Cur seruum indueris laboriosum?
Cur cœlum fugis, & solo moraris?
Iesu dulcis, amabilis, suauis?
Num te ludere, num iuuat iocari?
E limo genitis lutusiore?
Cumq́; his, vsq́; vel vsq́; iubilare
Iubilare, vel vsq́; lusitare!
An verò miseros homunciones,
Exactos colubri dolis, ab illo
Illo floridulo roseto, & illis
Expulsos violarijs, & illi
Transcriptos Erebo maligniori,
Et mersos barathro profundiori
Cœlo reddere mens amœniori?
Seu te deliciæ, & nouellularum
Lusus exhilarant faceciarum,
Seu te nostra salus, amorq́; iussit

(Quod verò propius) venire cœlo,
Nostræ tu faueas bonus saluti,
Et nostro faueas bonus lepori,
Nam me ludere, me iuuat iocari,
Tecum Iesule delicate, tecum.
Ludenti dabis, & dabis iocanti,
Ludendi decus, & decus iocandi,
Cui ludûm seges, & seges jocorum
Cœli nascitur aureo in roseto
Et multa Elysio viret vireto.

Sonet vox tua in auribus meis. vox enim tua dulcis. *Cant 7.*

MEcum Iesule, belle turturille
Misce Iesule bella murmurilla,
Bello Iesule belle gutturillo:
Quæ si miscueris, repente lux me
Illucebit amabilis, serena:
Quæ si distuleris, repente nox me

Obfuscabit

Obfuſcabit opacula, & nigella:
Quæ mî ni dederis, repente hyems me
Torrebit gelida, atq; amarulenta:
Quæ mî ſi dederis, repente ver me
Beabit roſeum, venuſtulumq;.
Ah ne gaudeolis tot induas me
Sed ô triſtitijs tot exuas me,
Et ô gaudiolis tot induas me:
Et brumam horridulam, atq; amarulentam,
Bello Ieſule pelle murmurillo;
Et lucem mihi amabilem, ſerenam,
Bello Ieſule redde gutturillo
O mî Ieſule belle turturille.

Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt.

Cant. 5.

O*Scillum puer aureus tenellum*
Et mellitula gutturilla ſoluit
Et mellitula mille murmurilla

Blando

Blando, blandiculo, atq; blandicello
Dulci, & dulciculo dedit ſuſurro:
At mi cum lipidilla verba primum
Edebant geminilla in aure murmur,
Mens omnis fugiebat, & liquebat
Vt cùm ver tepidum, teporq; vernus
Succinctus Zephyris pererrat agros,
Omnis liquitur inq; gutticellas
Nix ſtillatim abit, & repente tabet.

Ecce tu pulchra es, amica mea, &c. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. *Cant. 1.*

NAte ô blanduſe, blandicella mater,
Sol queis nil Oriens, & Occidens Sol,
Vidit pulchrius, aut videbit vnquam
Cuî componere vos queam decenter?
Nil vſquam puto poſſe me inuenire,

Si matrem abnuo comparare nato,
Si Natum nego comparare Matri,
Ambo lucidulli, ſerenuli ambo,
Ambo dulciculi, venuſtuli ambo,
Ambo floridulis genis coruſcant,
Ambo lucidulis flagrant ocellis
Ambo purpureis rubent labellis?
Quid dicam amplius? amplius quid edam?
Nato pulchrior eſt Parens venuſto,
Pulchra pulchrior eſt Parente Natus.

Dilectus meus mihi, & ego illi. *Cant. 2.*

QValis gemmula fulgurans in auro,
Talis Ieſulus in ſinu parentis;
Qualis floſculus in virente prato
Talis Ieſulus in ſinu parentis:
Qualis quæ roſa vapulabit imbre,
Et lætum caput abdidit lacunis,
Rurſum ridet & explicat pudorem,

Cùm Titan iubar aureum serenat;
Talis Iesulus in sinu parentis.
Qui vultus modo lacteum ruborem
In nube abdiderat tenebricosa,
Pulso fulgidius coruscat imbre,
Centum & blanditias parit parenti,
Centum & delicias, iocosq; gignit:
Et nunc brachiolis vtrisq; pendet,
A collo roseæ suæ parentis,
Nunc dat bella labellulis labella
Nunc adspectat ocellulis ocellos,
Miscet oscula dulcibus cachinnis,
Ridet, lusitat, exilit, iocatur.
His in lusibus, in ioco, inq; risu,
Dum mellita labellulis labella,
Dum contingit ocellulis ocellos,
Et nunc temperat osculis cachinnos,
Et nunc oscula temperat cachinnis
Mater suauiolum rapit iocanti,
Raptum conqueritur sibi puellus,
Et citò, citò vult sibi referri,
Quod dum non citò, non citò referret

Matri

Matri ſuſtulit alterum puellus:
Mater ſuſtulit alterum puello
Alternatq́ꝫ vices, vices & ille,
Mater vincere luſibus puellum
Matrem vincere nititur puellus.
Nec mens cedere virgini parenti,
Donec poſt varios iocos, cachinnos,
Riſus, oſcula, baſiationes,
Mellitiſsimus aureis ocellis,
Irrepſit ſopor, inq́ꝫ virginali
Proſtrauit gremio labore feſſum.

Et ego primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans. *Sap 7.*

VIx luci datus, & datus ſub auras,
Tu vocem quoq́ꝫ primulam quid edis
Noſtræ perſimilem, paremq́ꝫ noſtræ;
Et vultus roſeum iubar ſereni,

Dulci

Dulci dulcior ô puelle melle,
Phæbo clarius inquinas, & illos
O quam limpidulos tuos ocellos,
Humi lachrymulis, madesque fletu.
An te canna palude lecta lædit?
An te spondula dura collacessit?
An te brumula mordicat niualis?
Heu heu, pessima canna, dura canna
Heu heu, spondula sæua, dura, dira,
Heu heu, brumula acerba, bruma mordax,
Auden lædere tu meum puellum
Mellitum, niueum, venustum, amænum.
Parce brumula mordicare, parce,
Parce spondula læsitare parce,
Parce pungere canna, parce, parce.
At tu delicium meum, & voluptas,
Ne suffuderis ista turbidarum
Salso lumina fonte lachrymarum,
Nam quid rore mades genas amaro,
Qui subducere nos eidem easdem,
Et mentem dare gaudijs iubebas,
Tum quando polus omnis, orbis omnis,

Iussus

Iussus ludere, iubilare iussus:
Tum quando tibi paruit volenti
Natura omnis, & omnis orbis, omnis
Immensi plaga concitata mundi,
Plausus edidit, edidit cachinnos
Et lætum nouitate mota risit.
Quam nobis malè conuenit, tibiq;
Nos te Iesule flente iubilamus
Tu læto lachrymaris vniuerso?
Quam nobis malè conuenit tibiq;,
Tu nos plaudere, tu simul dolere!
Verbo plaudere, re iubes dolere,
Quas vis lachrymulas, tibi negamus
Quæ non vis ioca, nil damus morantes.
Quam nobis malè conuenit tibiq;.
Sed ne iam male conuenire possit,
Missis lachrymulis, tuoq; fletu
Ride Iesule delicate, ride;
Ridet blandula mater, & decenter
Ad pectus niueum beata presso,
Libat basiolum tuis labellis,
Libat suauiolum tuis ocellis;

Et nudat

Et nudat tibi vesculas papillas,
Tu suge, & bibe vesculas papillas,
Et cùm suxeris, ac sitim leuaris
Rursum Iesule delicate ride.
Ridet nata nitente gens Olympo
Dulci & mellisono sonore vocis,
Cantillat tibi bella carminella,
Et cœlo volucri euolat volatu,
Mox rursum volucri auolat volatu,
Et circumuolat hinc, & hinc, & illinc,
Atq; in æthera prouolat gregatim,
Subuolat, reuolatq;, conuolatq;
Inde hinc deuolat, atque lusitando
Casam peruolat, atq; iubilando
Hanc præteruolat, aduolatq; rursum.
Et quicquid volucri potest volatu
Id præstat volucri volens volatu.
Ah ah respice, cerne, cerne lusus
Et ride, & simili iocare ritu
Ride Iesule delicate ride.
Vt sat lusibus, & satis cachinnis,
Et sat lætitiæ datum putabis,

Dormi Patris ocelle, ocelle Matris,
Dormi Iesule delicate dormi.
Musa protinus elegantiore
Cygneis numeris amæniore
Fælix ætheris illa multitudo,
Ad præsepioli sedes agrestes
Dulces næniolas, melosq; dulces
Dulci concinet, exprimetq; voce.
His tu næniolis, & his Camœnis
Sopitus, benè suauiusculeque
Dormi Patris ocelle, ocelle Matris
Dormi Iesule delicate dormi.
Vt sat dormieris, satisque somni
Defeßis dederis tuis ocellis,
Exciti genitrix beata somno
Figet basia flammeis labellis,
Figet basia melleis ocellis;
Tu blandè intuitus tuam Parentem,
Limo lumine, pætulis ocellis,
Rapto suauiolo prius, deinde
Ride Iesule delicate ride.

Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. *Cant. 6.*

CVm te Iesule somnulo dedisti,
Misas interea tuos ocellos,
Et mellita videre fas labella;
Cùm te Iesule somnulo negasti
Occœcas radijs meos ocellos,
Nec fas amplius, est tuos ocellos
Et mellita videre fas labella
Hei quam sum vigilante te misellus,
Et quam sum te ego dormiente fælix:
Quid nunc quid mihi restat expetendum
Dormi Iesule, dormi, & vsq; dormi.

Sed dum blandidulos tuos ocellos
Permittis bone pusio diei,
Torpenti stupidas gelu medullas
Et pigro gelidas stupore torres,

Et flammas iacularis, & calorem
Igni ſaucia mens amoris haurit.
At cum lumina ſubtrahis diei
Et ſopore recondis inquieto,
Et quiete recondis inſopora,
Tunc incendia rore fracta grato,
Dulci me recreant gelu æſtuantem,
Et mî ros calor eſt, geluque vita,
Et mî vita calor, geluque ros eſt.
Vt mens fluctibus acta, & huc & illuc
Non abs re dubio feratur æſtu
Somno te viduum diene malit.

Sicut lilium inter ſpinas.

Cant. 2.

PVlchræ dicite gnatulæ Syonis
Quid vos attonitas habet? quid vſq;
Deiectæ huc oculos modeſtiores
Sub ſuſpiria lachrymis madetis?
An tam lacteolum, venuſtulumq;

An tam blandidulum, corrusculumque,
Se se sternere fertulo doletis,
In tam turpiculo, nigelluloque,
In tam sordidulo, lutusuloque,
Pulchræ filiolæ, aureæ puellæ,
Amabo mihi dicite hoc petenti,
An vos lilia, lilijsq; mistas
Totis diligitis rosas medullis?
Certum est lilia vos rosasque amare,
Atqui lilia sæpe senticetis
Nascuntur medijs, ferisque mites
Armant se vepribus rosæ? quid ergo,
Vt vernat rosa ramulo in rubenti
Spinas lililum vt albet inter aspras
Sic fœno nitet in putri puellus.

Dilectus meus cādidus & rubicundus. *Cant. 5.*

SI qui albere puerulum rubentem
Si rubere puerulum albicantem
Mirati, rubor vnde, & vnde candor

Dilecto puero meo rogarint,
Hæc dic carmine lacteo Thalia,
Quid ni lac niueis genis adæquet
Hic cui lactea lacteas papillas
Indit lacteolo parens puello,
Et nostras animas lauare venit
Vt sint lacte recente mundiores,
Et candore colostra cana vincant.
Hæc dic carmine Musa purpurato,
Quid ni purpura purpuret puellum,
Quem sic purpurei cremant amores,
Totum purpureum atq; purpuratum?
Et qui pectora nostra purpurare,
Venit purpureo suo cruore,
Vt sint fulgidiora purpurilla!

Dilectus meus cãdidus, & rubicundus, electus ex millibus. *Cant. 5.*

D*Ilectus meus est rubens, & albens,*
Inter millia mille segregatus,
Illius caput optimo ardet auro,
Illius coma præferenda palmæ,
Nigro nigrior atriorque coruo:
Illius geminella lumînella
Venustilla modo Columbulorum
Agentûm prope riuulos aquarum
Lotarum niuei liquore lactis
Sedentûm tumidi fluenta ad amnis.
Illius genulis venustiores,
Instar aureolæ fragrantioris,
Instar diuitis hortuli, procul qui
Latè iactat aromatum sapores.
Illius geminillæ sed labella
Cano lilia flore, rore cano
Stillatim lachrymant, pluuntque myrrhæ
Nimbo diuite primulos liquores.
Illiusque manuscula, hæc, & illa
Est tornatilis hæc, & aurea illa est.
Venter ritu eboris nitet politi,
Saphyro quod & hinc, & hinc superbit.

Eius crusćula marmor, & columnæ
Collocata super basimque & aurum,
Montanæ species decora Cedro
Et par Cedrifero videnda monti
Plusquā nectare gutturilla suaui
Plusquam nectarea súáuitate
Exundantia mel, fauumq; fragrant.
Totus denique amabilis decorus,
Et complexibus implicandus arctis
Et desiderio petendus omni est.
O desiderium mei caloris
Quo te, qua sequar? aut vbi insecutus
Indagauero, comprehenderoque?
O me si inuenio satis beatum!
O si te teneo magis beatum!
Si non perdo nimis, nimis beatum!

Flores apparuerunt in terra nostra *Cant. 2.*

HAlant lilia Ieſuli labella,
Formoſi violis ſcatent ocelli,
In blandiſq; genis venuſtularum
Fragrantes radiant comæ roſarum,
Quales Hybla creat, creatq; Pæſtum:
Immo Hyblæ violis decentiores
Pæſtaniſq; roſis amæniores.
Huc pernice pedem gradu ferentes
Flores fulgidulæ legant puellæ,
In ſerta inq; Coronulas coruſcas;
Vt ſponſo placeat puella charo
Et ſponſum rapiat puella charum,
At verò quia ſat ſuperq; ridet
Cuius nuda Notho colore forma,
Natiui decus explicat nitoris
Et vernat roſeis gena & labello
Et vibrat tremulis faces ocellis,
Nec fucis egeat, nec aduenarum
Pigmento nitido colorum, ea re
Flores turpiculæ legant puellæ.
Vt quas dur animis, nimiſque demens,
Et natura nouerca deuenuſtat,

Hac ſaltem decus arte mentiantur,
Externo caput induantque cultu.
Sed nec texere fas dolos ea re,
Hos nec turpiculæ legant puellæ,
At tali ratione cum carendum
Sertis aureolis ſit his, & illis,
Infenſaſq; minas ab his, & illis,
Expectem meritò quod his- & illis,
Auſim purpureas roſas puellis,
Et frontis ſolitum negare cultum,
Nec ſpiret violas roſaſq; fruſtra,
Nec ſoli ſua lilia halet auſtro
Florum floſculus, & decor decoris
Flores fulgidulæ legant puellæ,
Flores turpiculæ legant puellæ.

Viam viri in adoleſcentia penitùs ignoro. *Prou. 30.*

ME noctes habuêre, meque luces
Multas ſollicitum, moleſtiaſque
Immenſas duo pænè factitarunt

Quid cælo

Quid cœlo bone veneris puelle?
Et quid virgine sis satus pudica?
Cùm tandem mihi nube se remota
Primum prodidit, atque causam amori
Adscripsit nimio, fidemq; nullâ
Extorsit morula, negotioque.
Nā quidcūque agis, aut ages, vel actū est,
Nunquid non amor est benigne Iesu?
Quod nostros amor est præhendis artus,
Quod subis, amor est, lares agrestes,
Quod duris, amor est, cubas in algis,
Quod strictis, amor est, fouere pannis,
Quod non est, amor est, tibi minister,
Quod non est, amor est, domus superba,
Quod non est, amor est, cubile diues,
Quod non est, amor est, thorus venustus,
Quod ploras, amor est, amor quod horres,
Quod friges, amor est, amor quod ardes,
Quid sudas, amor est, amor quod alges,
Quod suffers, amor est, famis labores,
Quod sentis, amor est, sitis dolores:
Immo tute amor es benigne Iesu,

Quantus

Quantus quantus es, ô profunda abyßus!
O vastum mare gratiæ atque amoris!
Sic cura expedijt priore mentem
Indago rationis, atque amoris,
At quî virginea potens in aluo
Artus indueris Deus caducos,
Se vis ingenij potentioris
Se vis iudicij profundioris
Natura & ratio sagaciores
Ignorare palam simul fatentur
Horrent, & dubitant, stupent, & horrent,
Hic, hic horream & hæream neceße est.

Et in terra pax hominibus. *Lucæ 2.*

ET pacem cole terra bellicosa,
Et bellum fuge, terra pacis ardens
Et Mars se tenebris latebricosis,
Et det se latebris tenebricosis:
Nemo iam galeæ minatiore

Includat

Includat caput, æneoque corpus
Nemo vestiat includatq; amictu.
Pacales violas; rosasque molles,
Et mirthum date, laureamque fronti,
Et pacis Cererisque flaua signa
Nixæ tempora mordeant aristæ:
Et pacem placido vocate versu
Et versus placidæ dicate paci,
Pax cœlo caput extulit togata,
Pax cœli nitidos Lares reliquit,
Pax viles stabuli domos subiuit,
Pax terris redijt, valete bella:
Pax bella exanimat, valeto Mauors.
Quid vento tumefacte Mars inani,
Cristas surrigis, & polo caput fers?
Bullatisque crepas minis, & armis,
Iactans omnia vbiq; & vndecunque
Inuicto tibi subiacere ferro?
A verò procul auius deerras,
Nam te pax vidua, atque nuda, ferro
Armatum fugat, & fugat sagatum:
De te fortior ergo pax triumphat?

Michaelis Wudæ

Princeps Pacis.

SI non in ſcopulos, feramq; Syrtim
Noſtram illidimus auij Carinam
Si non à fidei orbita euagamur,
Cum te pacificum Ducem, immo pacem
Ipſam, cum bone Chriſte te vocamus,
Cur nos vndique, & vndecunque, & vſq;
Cur nos vſq;, & vbiq;, & vſq; quaque
Cur nos prælia, totq; totq;, totq;,
Affligunt miſerè hic & hic, & illic?
Affligunt nimium hinc, & hinc, & illinc?
Cur ſtridoriſono paßim tumultu
Paßim claßica, buccinæq; cantu
Ferali, populos agunt in enſes
Atq; in vulnera, & irā, & arma, & hoſtem?
Cur non hoſtibus heu rapina ſolis
Ipſis ſed ſumus heu rapina nobis?
Et per mutua bella, perque clades
A noſtris iugulamur & necamur?
Et noſtros iugulamus, & necamus?

An

An Dux terga gregi tuo dedisti?
A nostra procul ah abesto mente,
Culpæ inscribere te Ducem fidelem,
Iustum, pacificum, tuorum amantem:
Non tu nos pie Pacis Imperator,
Sed nos, te pie Pacis Imperator,
Nos te sponte reliquimus priores,
Et per crimina totq; totq; nostrâ
A vera ratione deuiantes,
Virtuti dedimus tibique tergum.

Ad Dei Matrem Virginē.

QVâ te laude feram Dei parentem?
Quâ te voce canam Soli salutem?
Quâ te mente colam Poli potentē?
Nobilissima nobilissimarum
Quot sunt, quotq; fuere, eruntq; Matrū
Heu rerum sterilis laboro sensu,
Heu fandi exiguus laboro lingua,
Heu parci ingenij laboro mente,
O laudum Chaos, ô profunda abyssus!

Cur

Cur tantum ore cani potes Deorum?

Ab initio, & ante ſecula creata ſum. *Eccl. 24.*

SVmmi nata Dei & Deique mater
Fælix ô vteri Maria fælix!
Quod ſi nata Dei & Deique mater
Deiectus niſi mente, quod, negarit,
Fuiſti prius ergo quàm fuiſti!

Nox Natalis.

VMbra iam medios agente curſus
Diſtabant ſpacio pari, futuris
Tranſactæ à tenebris nigræ tenebræ,
Illunique polus ſilens, & aër
In caligine conditi latebant,
Cum fælix vteri puella, natum
Partu protulit aureum ſub auras,
Quo mox ætherias dato ſub oras

Tantis

Tantis luminibus refulsit orbis,
Quantis luminibus refulget orbis!
Cum cœli per aperta Sol serenus
Aurigatur equis die sereno.
O vmbrosa nigrante nox sine vmbra.
In qua nocte repente, & ante noctem
Exactam tenebrosa nox recessit
Et clara ante diem dies refulsit!

Fortunata Hyems.

NArcissum, violas, rosas, acanthum,
Narcissum nitidum, rosas rubentes,
Formosas violas, olētem acanthum
Ver prægnans vtero ferace profert,
Addensatque viroribus virores,
Commiscet que calorbus calores
Contexitque coronulis coronas.
Aestiuus calor, at callens & æstas,
Culmis tempora inumbrat implicata,
Culmis spiciferis tegens capillos,
Spicis graniferis comas cóercens,

Granis farriferis caput coronans
Aestiuum subit ac premit calorem.
Autumnus Pater, & superbit anno
Musteo Mustifluo, atque mustulento
Et prælo laticem domat Lyæum,
Et musto calices graues propinat,
Et curas iugulat, sitimque mergit.
At stridorisonis Hyems procellis
Armata hactenus & Notis, & Austris,
Austris nimbigenis, Notis niuosis,
Se multa glacie, gelu, pruinis,
Et tantum niue, vestijt rigente,
Ingrataque mora integros peregit
Contristauit, adulterauit annos.
At postquam puerum Deumque partu
Sub brumæ medium dedit beato,
Cœpit vincere, & anteire cœpit
Narcissum, violas, rosas, acanthum
Et ver purpureum, grauesq; culmos
Aestiuæ Cereris, Patrisque fætus
Mustei, mustiflui, atq; mustulenti,
Et fæcundius, efficatiusq;

Et præstantius, elegantiusque,
Et diuinius, ampliusq; factum,
Omni tempore tempus istud anni est: (quam
Quotq; tempora, & olim, & vsquam, & vn-
Sunt fuêre, & erunt, & esse possunt.

Ad Ioseph frigentem.

FRiget frigidus, & senex Iöseph
Atq; artus tremit, & genu vacillat
Et dentes crepat, & sinum in tepentem
Condit liuidulam gelu sinistram
Torpentemq; sororculam sinistræ
Mi Iosephule, mi patercule, ah cur
Non mox ire iubes gelu exulatum
Cum tantum tibi præsto flammularum
Et tantum tibi præsto sit calorum?
An non flammea Iesuli labella?
An non flammeolos vides ocellos?
An non flammeolas genas ab igne
Subiecto dare torridos calores!
Illò te fer, & aufer vnam ocellis

Vnum purpureis genis, & vnum
Candicantibus osculum labellis
Et mox illico totus incalesces.

Asellus Bethlehemicus, & Hærodes.

Q*Vid mi Iesule turpicellum asellum*
Limo lumine, limulis ocellis
Sic vsque adspicis, vsq; contueris
Mellitisq; cachinullis moueris?
An quod perpete longiuscularum
Motu forsitan aurium suarum,
Blanditur, trepidatq;, lusitatq;
Hoc mi Iesule, vel parum, vel est nil,
Maiores tibi lusitationes
Et risus faceret sereniores
Et lusus pareret faceciores.
Si quando Icariæ flagrat catellæ
Torrens stellula cerneres aselli
Longas auriculas nigellularum

Examen culicum, atque muscularum
Occupare vorare, mordicare,
Vt tunc auriculas acutiores,
Motu corriperet frequentiore
Et crisparet, & vsque ventilaret
Nigrarum impatiens apicularum.
Immo iratulus, hinc, & hinc, & illinc
Persultaret, & vsq; cursitaret
Ft vsq; aera calce verberaret.
Has si Iesule lusitationes
Gratam materiem cachinnulorum
In cana quoq; brumulâ videre
Est tibi volupe vnico nigellas
Est verbo potis excitare muscas,
Quæ promuscide protinus pusilla,
Et crebra vice morsiuncularum,
Purgant, exagitent, edant asellum.
At te Iesule, nulla te voluptas
Nata ex alterius dolore mulcet
Mansuetum, facilem, pium, benignum.
Væ, væ, brute Tyranne, trux Tyranne
Væ rursum tibi, væ Tyranne nequam

Qui tot innocuos, & integellulos,
Primo in flosculo, amænolis & annis
Flore in primulo & annulis amænis
Crudeli nece demetis puellos
Quando nec minimo dolore vilem
Optet Iesulus occupari asellum

Angeli & Pastores.

D*Vcunt Angelici chori choreas*
Et per nubiferi plagas recessus,
Et ludos celebrant iocosiores
Cursus & refluos agunt recursus,
Et ludos celebrant iocosiores,
Et versus celebrant facetiores,
Et stupent numeros amæniores
Dum cantant resono sonore colles
Collisi referunt sonos sonoros
Exultant hilares, canore valles
Exesæ repetunt melos cauernæ
Acceptos numeros nemus remittit
Cantu nectareo loquuntur agri

Totus læticia repletur orbis
Soli peruigiles gregum magistri
Quos nox & tenebræ latebricosæ
In chari excubijs gregis tenebant
Obsessi pauido timore pectus
Confusi timido pauore mentem
Mutatique metu, metuque muti
Parcunt læticiæ, simulque verbis
Et voces cohibent, simulque cantus
Nec garrit solitum cicuta carmen
Nec mulcet solitos auena campos.
Cur ô cur vigiles gregum magistri
Toto læticiæ vacante mundo
Sub tristes timido pauore mentem
Agrestes calamis modos canoris
Et lætis calamos modis negatis?
Eia ah, eia animos metu expedite,
Et tritas animæ replete cannas
Et cannis hilares vocate cantus
Et cantu socio polo remissas,
Nudas materia iuuate mentes,
Et ter dicito Io, ter Euge Pæan,

Ter Pæan, ter Io, ter Euge rursum,
Et rursum ter Io, ter Euge Pæan,
Pastores Superis poli ministris
Cannis accinimus, modis iuuamus
Qui nostræ modicos casæ Penates
Intrarunt humiles, Deumq; primis
Natum Virginea parente nobis
Nudarunt nebula remota, & illum
Agnum deuia per vepreta euntem
An i ?is numero referre septis.
Eia ergo, eia iterum, ter Euge cannis
Pastori canimus, Deoque nostro,
Non Pæan, sed Io, ter Euge pastor
Ter pastor, ter Io, ter Euge rursum
Et rursum ter Io, ter euge nostro
Magistri canimus gregum magistro.

Munuscula Pastorum.

SInū candiduli tulit liquoris
Cumq; hoc pomula flaua Tytirillus
Prolem lanigeræ parentis albam,

Cumq;

Cumq; hac castaneas nuces Amynthas
Cunis vtile vellus inserendis
Cumq; hoc molle Menalicas butyrum
Magnis magna referre dona donis
Consuetudine plurium receptum est
Pro candente liquore Tytirillo
Large nectarei fluant liquores,
At pro lanigera bidente, centum
Numen reddat Amyntulæ bidentes.
Quid pro vellere, quiduè pro butyro
Par optare referre. par precari est,
Fuscus Phillida, fusculum Menalcas
Totis diligit ac cupit medullis,
Fuscum fuscula Phillis, ac Menalcam
Nullis diligit, aut amat medullis
Contra Phillida fusculum rogabo
Pro fuscoq; Menalcula puellum,
Aut ne Phillida fusculum Menalcas
Totis ardeat, aut amet medullis;
Aut vt Phillula fusculum Menalcam
Iunctis ardeat, & petat medullis.

Ad Tytirillũ Paſtorculum.

ET quæ te modo poßidet voluptas
Paſtorille puſille Tytirille,
Cantillare ſonare, fiſtulare
Carminella, tenella, ruſticella,
Molli, molliculo, atque mollicello
Formoſißimo, & optimo puello:
Quem Virguncula & integella mater
Quem matercula, & integella Virgo
In lucem dedit omnibus popellis.
Hac in ſtellimicante nocticella,
Sub vili lare ligneæ caſellæ,
Auritum inter aſellulum, & bouillum
Turpem, turpiculum, atq́ turpicellum.
Huc ergo lepidulle Tytirille
Ad præſepiolum vola puſillum
Hic in ſtramine, fænuloq́ ſacros
Seßitabimus ad pedes puelli:
Hic mellitula, bella, luminella
Stellis æmula luminella bellis,

Hic ſtellata roſis labella vernis
Ignitæ æqua labella purpurillæ.
Hic imbuta recente lacte colla,
Albo candidiora marmorillo.
Hic & brachiolum duplex, & illa
Illa cruſcula delicata, & illas
Illas vſq; manuſculas, & illum
Totum deniq; melleum puellum
Collaudabimus, vſq;, & vſq;, & illi
Cantillabimus vſq; gutturillo,
Delicatula carminella centum,
Mox centum alterâ, deinde mille, mille
Mox mille altera, ſed deinde centum,
Et cum millia multa, multa centum
Cantillarimus, illico illa raptim
Permiſcebimus, hinc, & hinc, & illinc
Tranſmutabimus, hac, & hac, & illac,
Et turbabimus illa, ne quis illa
Poſsit ſub numerum vocare certum?

Iocus Puerilis.

Cui

CVi fers flauula poma Tytirille?
Flaua pomula Tytirille cui fers?
Dic sodes? mihi; Pupulone dulci?
Certè non mihi, sed tibi puelle
Tibi mustule mustulenta poma
Tibi mustula poma mustulente
Tibi pomula Tytirillus adfert.
Eia ergo accipe succiplena poma
Quæ tam sunt rubicundula, & venusta,
Quæ tam flauula, tamq; sunt decora
Differs accipere? huc mihi, mihi da,
Da mî pomula flaua Tytirille,
Quando hic pupulus illa habere non vult
Extemplo inueniam, qui habere curet
Foris Mopsulus, & foris Menalcas,
Expectant auidi, duo puelli
Iam iam ni accipias eos vocabo.
Heus, heus Mopsule da casæ celer te
Heus, heus, huc celer aduola Menalca
Et quæ pupulus hæc habere non vult
Actutum cape mustulenta poma.
Sed quas audio lachrymas? foris iam

Mane Mopſule, iam mane Menalca
Iam iam muſtulla poma muſtulentus
Dudum poßidet hic puellus; at vos
Tardi ruſticuli, mali, rapaces,
Et quos vilius eſurire fas eſt
Auferte hinc alio pedem puelli.

Oſcula.

Q*Væris quot mihi ſuauiationes*
Tuæ Ieſule, ſint ſuper ſatiſq;
Quã multus numerus paluſtris herbæ
Cui das membra tenella mordicanti,
Quot pili tuo aſellulo, & bouillo
Ad præſepioli pedes cubanti;
Aut quam millia multa nocte ſancta
Seruam dant operam tibi Angelorum,
Tam te ſuauia multa ſuauiare
Amanti ſatis & ſuper fragranti eſt
Quæ nec pernumerare tu ipſe poßis.

Michaëlis Wudæ

Salutatio.

JEſu puſio belle puſionum
Mellitiſsime millieſq́; centum
Elegantior elegantiorum
Veniſti ne ſolum ad tuos ſodales
Atq́; ad delicias tuoſq́; fratres
Indignos nimis, & minus fideles?
Veniſti? ô mihi gaudium paratum
Viſam te in ſtabulo, thoroq́; vili
Delicatula membra detinentem,
Submittenſq́; genu genis morabor
Et coralina deoſculans labella
Mille baſiolis famem necabo.
O quantum eſt hominum famelicorum
An quid his epulis beatius ſit!

Querella.

QVid me Ieſule ſic tueris vſq́;
Limo lumine, pætulis ocellis?
Nunquid vt radijs ocellularum

Impotenter amantis vstules cor,
Aut des in cineres, vel in fauillas,
Ne tu me radijs tuis crema me,
Ne tu lumine bimulo vstula me,
Ne pætis pete ocellulis dehinc me,
Ah somno tege bella luminella,
Ah, ah, obtenebra parum latebris
Ah, ah, illatebra parum tenebris
Donec frigidula flagrans cor aura
Parum se recuset sibiq; reddat
Flamma liberet vstulante paulum.
At vos interea piæ, tenellæ,
Pulchræ filiolæ sacri Syonis,
Quæ fontes dare flosculis soletis,
Quæ rosis & amaraco mederi,
Lymphis frigidulis, aqua salubri;
Me me frigidula fouete lympha.
Hoc hoc mellifluo liquore pectus
Macra incendia sustinens amoris
Vsq; spargite, & vsq; subrigate
Totus ne in cineres eam misellus.
At tu Iesule si negant rigare

Flama

Flamma me pete curiosiore,
Et torre radio potentiore
Vt totus subito cremer calore,
Per incendia magna, per corusca
Malo, quam tenui perire flamma.

Xeniolum.

EN munuscula parua, parue Iesu,
En pomum rubicundulum, & venustū
Docent te rubicundula, & venusta
Cum tu sis rubicundus & venustus,
Et genæ rubicundulæ tibi sint,
Et tibi rubicundulum palatum,
Vtrumq; & rubicundulum labellum.
At ridet rubicundulus puellus
Et pomum rubicundulum labellum
Et porgit rubicundulum paventi:
Fortaßis rubicundulus puellus,
Vult pomum vt rubicundulum coquatur
Actutum rubicundula excitetur
A te flammula mi senex Ioseph.

Sed vagit rubicundulus puellus
Et tam tam rubicundulum perire
Pomulum queritur gemens, gemenſq́;
Ne vagî rubicundule ô puelle,
Haud quaquam rubicundulum domari
Aut ſolui patiar calore pomum,
Nec flammam rubicundulam parari
Vt pomum rubicundulum coquatur,
Sed vt frigidulæ procul fugetur
Inclementia brumulæ iſta iuſſi.
Quin tu lachrymulas tuas cöerce,
Et pomo rubicundulo potire,
Et lude, & cane, & exili, & iocare,
At pomum rubicundulum maneto,
Quam diu rubicundulum labellum
Et genæ rubicundulæ manebunt,
Venuſti & rubicunduli puelli.

E dolore voluptas.

Q*Vi ſerpens nemoris ſacri ſub vmbra*
Et campi Eliſij locis amænis
Deiecit luteum ſalute patrem

Fucatos specie dolos decora
Et diras Phaleris tegebat artes,
Orbesq; orbibus implicans retortis
Et caudam motians modo huc, modo illuc
Amplexu refugo arborem occupabat,
Qua non diuitior nitente cultu,
Qua non diuite cultior nitore.
At qui restituit patrem saluti,
Et vitam luteo dedit parenti;
Multum disparibus modis & arte
Dat se se in stabulum, casamq; turpem
Et præsepiolo, reponit artus,
Heu nodis grauido, horrido, arcto, & aspro.
O tristißima felle amarior mors,
Cum mellita tibi est parens voluptas,
Cur tibi est genitrix amaritudo,
Fauo dulcior ô beata vita,
Iucunde ne adeò iuuat perire
Et vitæ reuocarier tam acerbè!

Stabulũ Bethlehemiticũ.

Et gau-

ET gaudet ſtabulum Angelis puſillum,
Et gaudent ſtabulo Angeli puſillo,
Et ducunt hilares per antra ludos,
Et luſus hilares ſonant per antra;
Dum lætum melos Angelos moratur
Et cantu melico reſultat antrum,
Eſt nobis dolor exuendus omnis,
Eſt contra iocus induendus omnis,
Et lætis numeris caſæ canendæ,
Quæ lætam referant ſolo ſalutem
Quas ſummo Deus exiens Olympo
Primas poſthabitis petiuit aulis! (eſt!
Res miranda! quid hoc! quid hoc! quid hoc
Magnas multiplicis domos Olympi
Exceſſit Deus, & Deus reliquit,
Et venit Deus, & Deus ſubiuit
Paruos exiguæ caſæ penates.
An forſan ſpatioſus illi Olympus
Factus, Numinis incapâx beati eſt?
Et caulæ illa puſilla luminella
Amplo facta polo capaciora? (eſt!
Res miranda! quid hoc! quid hoc! quid hoc

Cantilate, volate, lusitate,
Et ter sæpius, & ter, & ter, & ter
Circumducite caululæ penates,
In gyrum refugas chori choreas,
Et terni canite ô chori in choreis
Et versus geminate, eos subinde
Augustas nitidi domos Olympi
Exiuit Deus, & Deus petiuit
Angustæ laceros casæ penates,
Res miranda! canenda, res stupenda!
Maiores stabulo minores Cæli,
Sunt facti exigua casa minores,
Et maiore minor casella cœlo
Facta est amplior ampliore cælo.

Ad asellum Bethleemiticum.

DIues diuite dones atq́ pingui
Pauper paupere Xenio, & macro te
Et hæc gramina Sole cocta multo

Atq; has accipe pauculas auenas
Vt ſpero ſapidas tuo palato.
Pro quo munere ſi referre nobis
Vllas velle velis Aſelle grates,
Non dorſo peto me vehas vt alto,
Non vt farra molæ terenda portes,
Non vt ligna foco cremanda tollas,
Non vt nubigenas eas cis Alpes,
Et mi vina Cado feras Falerno,
Non vt ſis apud aureum puellum,
Pro me, proq; mea ſalute ſupplex,
Saltim ſi licet obtinere votum,
Si non ſæpius aut frequentius te
Vel ſaltim ſemel audiam rudentem.

Ad eundem.

TOtus belle mihi places Aſelle,
Paſſu tardigrado places Aſelle,
Riſu clariſono places Aſelle,
Longis auriculis places Aſelle,
Ne dicam omnia, quæ places Aſelle,
Totus belle mihi places Aſelle.

Michaëlis Wudæ
LuxBethlea.

BEthleam petijt casam puella
Candidißima candidißimarum,
Suscepit casa candidam puellam
Sordidißima sordidißimarum.
Hic dum stramineo recumbit antro
E cœlo noua lux repente lápsa
Detexit latebras tenebricosas
Et totos facè vestijt Penates,
Atq́3 ipsam quoque Virginem puellam
Vállauit radio frequentiore
Perfuditq́3 nitore clariore
In qua luce parens puella lucem,
Et vitam dedit aureo puello;
Qui vitam daret aureamq́3 lucem
Orbo luminis & salutis Orbi.
Non ô iam casa es amplius casarum
Sordîdißima sordidißimarum,
Quæ tam multiplici beata luce,
Et lucem paris, & reducis orbi,
Sed tamen casa es omnium casarum
Splendidißima splendidißimarum.

Vnius

Vnius floris, mel & venenum.

OMnis causa mali fuit puella,
Cùm nos subtraheret beatitati,
Et furtum cupido momordit ore
Et morti dedit, & dedit tenebris:
At cum surriperet neci & tenebris,
Et verbum cupidâ recepit aure,
Et nos restituit beatitati,
Omnis causa boni fuit puella.

Ad Póètas.

AD cunas cane, ligneamq; caulam
Ad caulam cane, ligneasq; cunas,
Versu diuite, nobiliq; Musa,
Musa diuite nobiliq; versu,
Cui carmen lepido simul nitore
Et carmen nitido simul lepore
Deductum fluit, & leui susurro

Blanditur tenerum auribus puelli,
Fucatum violis trahit volentem
Vmbratumq; rosis rapit videntem
Dulci & nectare potat audientem.
Nam nostræ Venus inuenusta venæ
Et nostræ decus indecens Camœnæ
Et nostri illipidus lepor Phaleuci
Floret floribus atque vere nullo.

In quendam.

QVod ludo fidibus Phaleucianis
Et mitto numeros Maronianos,
Quidam bile tumet Catoniana,
Me mordens odio Timoniano.
Ride Musa asinum Phaleuciana,
Nec bilem remorans Catonianam,
Nec curans odium Timonianum,
Si sufferre nequit Phaleucianas,
Franget fune gulam Lycambiana,
Cum ludam fidibus Catullianis.

Cracov. Stud. Univ. Jagell.

Historia.
Controversiarum cum Jesuitis

Protestationes pro Juribus Univ[...]
Cracoviensis et Zamoscens[...]
praetensam erectionem [...]
Collegii Leopol. Patrum S. J. a 1759 fact[...]